C APPENDIX.

Quum ex iam dictis cõstet Cannabinum semen caput facilè tentare, atqueadeo lædere, imprudenter faciunt, qui uulgi errorẽ sequentes, in morbis, ijsq; maximis, capitis, ex hoc semine confecta iuscula ægrotantib. magno eorum malo exhibent.

DE CARDIACA. CAP. CXLVIII.

NOMINA.

Cardiaca cur dicta.

VO nomine herba hæc ueteribus sit appellata, nondum nobis constat. Nostri tamen temporis herbarij Cardiacam uocant. Germani Hertzgspan/ oder Hertzgspert. Cardiaca uerò hauddubiè à recentioribus nominata est, quod cordis palpitationi, quam illi perperàm καρδιακὴν appellant, mirificè conferre uideat. Alia est hæc à Ballote, de qua suo loco diximus.

FORMA.

Cardiaca caulem ex se mittit quadrangulum, geniculatum, nigrum: folia laciniata, nigra, per interualla in caule ex singulis geniculis prodeuntia: flores in candido purpureos orbiculato ambitu caules circumiacentes: radicem luteam, intortam, capillamentis fibratam.

LOCVS.

Passim in ruderibus & circa sepes nascitur.

TEMPVS.

Iulio mense floribus abundat.

TEMPERAMENTVM.

Amara admodum existit, ut hoc nomine calidam esse in secundo ordine, & siccam in tertio constet.

D

VIRES.

Recentiores recte contra cordis palpitationem, conuulsionem & resolutionem cõducere tradunt: potest enim quum amara sit herba, sua caliditate & siccitate crassos humores qui in uenis & alijs partibus, neruosis potissimum, sunt, incidere, extenuare & discutere. Hac etiam ratione morbo comitiali confert, urinas mouet, & menstrua educit, aliasq; facultates quas Galenus libro quarto de simpl. med. facult. cap. xvij. amaris tribuit, obtinet.

DE CARO.